ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hesternam vesperam inopinato tuo adventu laetiorem mihi
reddidisti, Nobilissime Hugeni. Totam noctem dormivi securius,
quam alias cum morbo et domesticis curis soleo dividere.
Solis officium videris mihi praestitisse, qui fovet et discutit.
quod Ducis Alenzonij fuit symbolum. Redeunt ad Te
versus tui graves, pij, eruditi, qui sacro clarissimi scriptoris
operi facem praeferunt. Poscis censuram aut potius sententiam
meam? Dicam quod res est. In Epigrammate omnia sana
sunt, argumentum, dictio, numeri, genius. In censore
~~sa~~ laborant et vacillant valetudinis et ἐνεργείας mo=
menta, omnia actionis, partes, spirituum vis, sanguis, aliaque. In carmine
tuis res et recto stant omnia talo. Censor nondum
suus languet, dum divinae aurae particulam in socie=
tatem mali trahit febrile contagium. Utar tuis
verbis. Summa tua manus hic quasi prima fuit.
Merum manna fundis, panem Coeli et Parnassi.
Coeli, quia pia loqueris et sanctitatis rore tinctos
sensus effaris. Parnassi: quia poetice illos ipsos
effers, et Apollinem Musasque ea phrasi loqui
facis, quam olim in media Phocide ignoraverunt.
Totus sacer es et numine plenus. Sudavit ~~ne~~ hic
non minus pietas tua, quam in grandi opere magni
Heinsiadae. Hoc est, mi Hugeni, convenientia
scribere et apta ingenio; non Delphinum
appingere sylvis, aut fluctibus aprum. Valde apposite
precaris, ne Zoili Leonis ungues sentiat hic Daniel.
Plurium enim judicia experietur. Sed tutus est
variae eruditionis et praesertim Graecae aegide hic
Palladis alumnus. Et si bene calculum posui, non
patietur se in speluncam Leonum, vel a regibus,
hoc est doctorum Principibus, detrudi, sed causam dicet
teste die & hora. Nec desunt huic Danieli ungues,
quibus se Leonum unguibus opponat, ut citius
Samsonem futurum putem aut Herculem, Leonum
domitorem, quam Danieli isti similem, qui non nisi
divina ope protegi potuit. Vale vir maxime, et Barlaeum
tuum constanter, ut facis, ama. Nobilissimum Dominum D. Mylium
ubi occasio fert, saluta. Gravissimo
D. Thilisovio et Catsio disertissimoque Boreelio aurem vellica.

Raptim Amstel. XX Jan. 1639.

N. T. observantissimus

Caspar Barlaeus,

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 127
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2026

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 127
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2026

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 127
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2026

A S mijn heer
mijn heer Constantinus Huijgens
Ridder heere van Zuilichem
Secretaris van sijn Hoocheijt

Ampts

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 127
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2026